suavissimi adolescentis, et cui non potest heros ille noster magni equidem animi vir, sed clementissimi benè velle. neque te dubitare sino, quin annitar omni operâ, quo illud erga tuum propensus jam affectus quotidiè augeatur. quod superest secuisti ~~viam~~ venam mihi acumine ipso versiculorum quos Tessalæ opificio inscripsisti. et ecce quid emicuerit sanguinis biliosi. Nihil clementius a perpetuo rivali poteras expectare. Ride, atque ut Incerti, tecum habe, quorum nec ipsi Phœbo copiam factam velim. Scribo interpellatissimus. In Castris ad: St. Ægid: (St. Gilles) v Cal. Sept: CIↃIↃCXLVI.

Benedicto Kestelio

Amplissimè, doctissime & domine. (395).

Gratum est quod ingratum non habueris amicitiæ de Collegâ in Collegam trudacis professionem. Eum egò candidè et sincerè feci. eandem constantissimè tuebor, ac tu quidem facta verbis et affectui, quem hîc denuò testor consona experieris, ubi occasio tulerit. Quod pluris facias, ausim item polliceri de meo Principe quem licet in animum ~~non~~ inducas thriumphalibus elogiis demereri, ut facis ~~[illegible]~~ nimirum quam luculentissimè, utique clementem dominum ubique senties, et verè intè pronum. de Catello, sanè lepidissimo miseret in exilium missi, citra crimen aut noxam. Filiolam interim, quam unicam habeo, unicè hoc delectatur, nec facilè opinor statuerit, utro carere malit Patre an Catello, qui nunc novo vocabulo, Loontie àve Bantlindy. Gratias illa adultior est, quas nunc aut habet, aut habenti similis videtur. Quis autem ille ordo rerum naturalium vir Amplissime. quod ecce canem sequatur lepus. præda venatorem. Tu apud Philosophos videris ego hoc te seriò rogo, atque moneo, desinas muneribus me adire, si quam dixi candoris et benevolentiæ professionem tueri me amas eo genere constantiæ, quod donis non firmari, sed succuti profectò, vel subverti possit. Noli factum. potius est non obnoxiè nos amemus, atque ut sic liceat, iterum a te peto. Sic vale vir humanissime, et sic me ama. Scribo Hagæ comitis: Æquinoctio verno. CIↃIↃCXLVI.

Johnsono

© Koninklijke Bibliotheek
KA 45, fol. 141r
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/n0340